

anno tuo proposito perueniet. Exemplo accipe: Sit ascendens cuiusdam natiuitatis 16 gradus Libræ, significator uitæ in eleuatione polari 49½ graduum, uolo inuenire ad quem gradum Zodiaci directio significatoris uitæ 16 Libræ anno 42. completo nati perueniet. Primo locabo gradum 16 Libræ ad contactum horizon-  
tis orientalem, & inuenio ibidem gradum 202 ferè ascensionem obliquam eius, cui adde gradus 42 ratione tot annorum elapforum à tempore radicis, & colliges gradus 244 ferè, quos locabo ad contactum horizon-  
tis orientalem, & inuenio ibidem gradum 16 ferè Scorpionis, ad eum itaq; pertinet directio significatoris uitæ anno 42 completo proposito. Si uero significator extra angulos repertus fuerit, stante gradu ascendens natiuitatis, uel alterius principij in contactu horizon-  
tis orientali, loca horizon-  
tis significatoris, id est, circulum positionis, supra locum significatoris, & eum sic firma, notando ibidem gradus ascensionum, qui se ibidem sub circulo positionis abscindunt, quibus adde tot gradus, quot annos transactos ab instanti talis radicis habes, & exinde hunc numerum graduum sub eundem circulum positionis ita firmatum locabis, & uidebis ibidem gradum eclipticæ, qui se abscindit cum eodem circulo positionis, ad eum itaq; directio significatoris tuo anno proposito applicabit. Exemplo celerius res aperietur: In eleuatione 49½ gradu sit ascendens, ut antea gradus 16 Libræ, sitq; significator Sol in 6 gradu Aquarij, uolo experiri cui gradui Zodiaci idem significator anno 42 completo applicabit, sed quia signum Aquarij tempore natiuitatis sub terra repertum fuit, ratione cuius gradus signi oppositus 6 uidelicet Leonis aduertatur supra terram, supra eum itaq; locabo semicirculum positionis ascendens 16, scilicet gradum Libræ prius horizon-  
ti orientali applicando, & sic firmabo eundem semicirculum positionis, & inuenio ibidem in linea fiducia eius gradus 124, quibus addam gradus 42, propter annos à radice elapsos, & colligo gradus 166, quos locabo (globum girando) sub eundem circulum positionis ita firmatum, & inuenio per lineam fiducia eiusdem semicirculi gradum 16. Virgini-  
nis, ad gradum itaq; signi oppositi 16 Piscij applicabit significator Sol, scilicet anno tuo proposito completo. Si autem significator fuerit retrogradus, & promissor in angulo, notabis gradum æquatoris, qui in contactu huius anguli apparuerit, cui detrahe tot gradus, quot annos perfectos ab instanti talis radicis habueris. Et deinde locabis eundem numerum remanentem æquatoris, sub eundem angulum, & uidebis ibidem gradum eclipticæ, quem directio significatoris in anno proposito attinget. Si uero promissor extra angulos fuerit, utere circulo positionis, eum ponendo supra locum promissoris, eum firmando ibidem, & numerum graduum ibidem apparentem nota, cui detrahe pro quolibet anno, à tempore radicis transacto, unum gradum. Deinde numerum residuum æquatoris, locabis sub eundem circulum positionis, in tali situ, & uidebis ibidem gradum Zodiaci, qui se abscindit in circulo positionis cum æquatore, qui est gradus quæsitus, ad quem uidelicet directio significatoris retrogradi, repedando graditur. Practica admodum facilis uisa est, & ferè eadem cum antecedentibus, quamobrem exemplis superfedendum ratus sum.

Ad quem terminum planetæ perueniat diuisio ascendens,  
quod Algebuthar uocant, subtili uia inquirere.

## CAPVT LXIII.

**G**LOBO ad eleuationem poli tui disposito, pone gradum ascendens natiuitatis ad contactum horizon-  
tis orientalis, extra signando ascensionem eius obliquam, Deinde pone etiam ad contactum horizon-  
tis orientalem gradum initij termini tui planetæ, accipiendo ibidem eius etiam ascensionem obliquam, demum subtrahe ascensionem obliquam  
18 iij ascendens